



Hist. Circ. Sax. Super. 59.

* * * Aureum Seculum, * * *

Inter ipsa Initia

REGNI BORUSSORUM
SEMPITERNI & AUSPICATISSIMI,

Potentissimo & Augustissimo

PRINCIPIS,

FRIDERICO,

Regum in Borussia Christianorum

PRIMO,

Electorum Domus Zolleriae Brandenburgicorum

DUODECIMO,

Nominis Felicissimi

TERTIO,

Applaudente Europa,

Post CHRISTI REGIS NATALES

Ineuntis Seculi decimi octavi

Die decimo octavo,

I. e. XV. Kal. Februar. Anno MDCCL.

Rite ac solenniter

In Monte Regio

Delati inauguratiqve,


Universae Patriae

Beneficio Tanti REGIS

Redditum ac restitutum,


Triumphans cecinit

Academia Viadrina.



FRANCOFURTI AD VIADRUM

Literis impressum in Officinâ Johannis Cœpselii, Academiae Typogr.





Spice pacato, REX AUGUSTISSIME, vultu:
Ad Solium Sceptrumq; Tuum longæva
propinqvat
Mater Pieridum Viadri contermina ripæ.

Signa movet claro pulcher Septentrio coelo,
Et *Jani bis nona dies, bis nona q; secli*
Post Christum *Octavi decimi*, notissima toto
Æthere, Divorum superis gratissima tectis,
Lætitiæ Patriæ, templis indicit honorem,
Et communi hominum plausu, & clangore tubarum,
Et tormentorum resonat trepidante tumultu
Impositum, FRIDERICE, Tuis Diadema capillis.
Consurgunt paribus studiis Heliconia Pubes,
Conscriptiq; Patres, & Apollinis ostia pulsant,
Certatimq; manus tendunt ad sydera passas,
Atq; novi celebrant Festum memorabile REGIS.
Pandit Apollo fores solenni indutus amictu,
Exacuitque lyram, circumfusasque Camœnas
Suscitat in laudes, adoletque altaria thure,
Atq; Tuam ter voce vocat, REX MAGNE, Salutem,
Cumque Tuo Regno *Saturnia Regna* redire,
Cumque novo seculo canit *aurea secla* renasci.
Sola Borufforum Pregelana Academia coram
Majestate Tua fruitur, luxuque triumphat

Ebria

Licetis impressum in Officina Johannis Cöpllii, Academiae Typogr.

Ebria regifico, pompaque instructa Deorum.
Nec tamen interea Musarum ego Marchica nutrix,
Quanquam à Te longis spatiis discreta, minore
Instituto pietate preces, nec pectore volvo
Gaudia languidiora meo. Mea cana senectus
Antiquæ fidei plena est & nescia fuci.
Munera non auro gravia sectoque elephanto
Affero, non conchis Indi pretiosa superbis:
Sed casta pietate & religione placebo.
Hic quoque præsignis stat victima cornibus aureis.
Hic quoque Panchæis fervescunt ignibus aræ,
Cumq; Aurora diem ducit, cumq; Hesperus umbras,
Te, FRIDERICE, canunt, Tua Sceptra & Facta renar-
Hic quoq; plebs haurit rivis currentia vina, (rant,
Et sub REGE novo *felicia Secula* sentit,
Jejunæq; famis sicca obliviscitur ora.
Hic quoque lampadibus platearum strata relucet,
Et noctis tenebras lychnorum millia vincunt,
Pectoribusque meis *amor indelebilis* ardet,
Quæque oculis nescit, spectacula mente tuetur,
Sublimi Solio Te nixum & Sceptra tenentem,
Sacratoque Oleo Dextram Frontemque perunctas,
Læta Sacerdotis præfagia, júbila vulgi,
Concordes Procerum plausus, Populiq; Patrumque.
Absens Te veneror, votivaque carmina fundo,
Et lauris incido meis, quas nulla bipennis,
Nullaque vis Boreæ radicibus eruet altis.

Et cum vere novo repetes pallatia Suevi,
Obvia tunc ibo, & supplex mea carmina reddam;
Tunc mea Calliope Viadri de flumine nata
Amsteliis Musis sociabitur atqve Borusis,
Quæ laudes cecinere Tuas, insignia REGIS
Gratatae, quæ sola aberant; nam cætera dudum
REX virtute Tua, REX Majestate fuisti.

Id præscivi eqvidem, REGES aliquando futuros
Gentis ZOLLERIÆ, qui BRANDENBURGICA
Regna

Æterno Imperio regerent, & ad æthera ferrent.
Namq; ita præmonuit, cum primū nascerer, Auctor
Fundatorq; meus JOACHIMUS nomine *Primus*,
Quem sua facundum Germania *Nestora* dixit.
Lux erat Aprilis sexta & vigesima mensis,
Lux mea natalis, memori quam pectore servo,
Cum meus ad templum Rector felicibus iret
Auspiciis primus, caperetq; Academica Sceptra,
Atque inter geminos procederet ELECTORES,
Augustos Fratres, patriæ duo maxima Fulcra;
Poplite succiduo tantum venerabar honorem,
Et præ lætitia lachrymis affabar obortis:
Sis bonus & felix nostris, Pater Optime, Musis,
O JOACHIME, meum Decus, & mea summa vo-
Outinam tumulo Tua sicuti fama carebit, (luptas!
Sic etiam nulli Tua membra obnoxia busto
Æternum superare mihi, mihi vivere possent.

Tum

Tum rebus confisa meis, ignara timoris,
Ex Te præsidium certum contra omnia tela,
Fortunæque minas peterem, belli que furores.
Sed cum Te rapiant liventia fata sepulchro,
Formidabo novis immites floribus Austros,
Et turbatores tranquillis fontibus apros.

Talia dicentem verbis erexit amicis
Magnanimus Genitor: Mordaces exue curas.
Non totus moriar, cum me Libitina vocabit;
Sed mea Progenies virtutis compos avitæ,
Imperium sine fine geret, nomenque paternum
In moestos cineres nunquam patietur abire.
Illa meum semper tibi continuabit amorem,
Avertetque tuos, ut murus aheneus, hostes.
Stabit nostra Domus, foecundaque Prole virili,
Natorum Natos, & qui nascentur ab illis,
Heroas mistosque Deos numerabit, ut olim
Per Phrygias urbes curru Berecynthia Mater
Alta ferebatur, centum complexa nepotes,
Magnos coelicolas, quos terra tremebat & æquor.
Horum inconcusso tutamine freta, memento
Pascere securas immortalesque Camœnas,
Atque juventutem leges artesque docere.
Bella licet latent, & sævis fulminet armis
Mars equitans circum Tua moenia clausa, lupi ceu,
Quos agit atra fames, stabulorum limen oberrant;
Tu tamen haud trepida. Non ignea Dextra Tonan-
tis Fran-

Franget Apollineas Lauros in vertice Pindi.
Et quoniam casus fas est tibi scire futuros,
Ne dubita; nam vera canam præfagia coeli.
Hercule majores ex me mea Marchia Natos
Clava elifuros furialia monstra videbit.
Quin etiam REGES à nostro sanguine cretos
Accipiet, quorum rutilo caput ardeat auro.
Sic stellarum obitus mihi pollicitantur & ortus,
Fatorumque monet series inscripta columnis
Marmoreis, quibus immensus requiescit Olympus.
Nec prius absolvet Titan duo secula cursu,
Quam mea Posteritas Sceptrum Regale capeffat,
Inque suas terras *Saturnia Regna* reducat.

Hoc Pater edidicit Prim^o JOACHIMUS ab astris,
Hoc ego servavi taciturna mente repostum.
Jam venit illa dies, venit exoptabile tempus,
De quo prædixit mihi Divinissimus Augur.
Jam ferme exegi duo secula; nil nisi lustrum
Deficit, ut Phoebus mihi tertia secula pandat.
Et jam Te REGEM, FRIDERICE, Boruffus adorat,
Et manifesta fidem JOACHIMI oracula servant.
Europa acclamat melior, quantasque *secundi*
Commeruit laudes FRIDERICI *ferrea* virtus,
Sarmatici pariter cum sperneret atque Bohemi
Imperii Sceptrum, Patriæ percussus amore,
Hanc ne desereret, Populique precaria Regna
Externi caperet; Tanta est Tibi gloria, REGEM

Te

Te præbere Tuis, atq; in *Regalibus* ungi
Montibus, in quorum Tua vita cacumine coepit.
Nec Iove se tantum quondam jactavit alumno
Curetum sociis Corybantibus hospita tellus,
Urbibus insignis centum redimitaq; Ponto;
Quantum REGE suo se nunc MONS REGIUS effert.
Quippe Tyrannus erat trux Iupiter, atq; Parenti
Stelligeri extorsit per vim moderamina mundi,
Et ferrum induxit rigidum, curasq; malignas
Accendit, postquam *felix* aboleverat *aurum*.
At Te præcipuum signat clementia REGEM.
Nec Tu fortuitus REX es, raptorq; Coronæ,
Sed REX legitimus, quem jura & fata vocarunt,
Quem promiserunt coelestia sydera nobis
Natales longe ante Tuos, qui flebile frangas
Ferrum, & restaures *Saturnia Secula* terris,
Bella cruenta foris places, intusque duella.
REGEM non faciunt auri argentique talenta,
Non chlamydis species Tyrios incocta rubores,
Non Sceptra ornamenta manus, diademata frontis,
Non domuum illusi pulchra testudine postes.
REX est, qui toti populo dia indole præstat,
Parcere qui domitis, & debellare domandos
Novit, & afflictis dextram præbere juvantem,
Et charæ Patriæ rebus succurrere lapsis,
Discordi Europæ placidam reparare quietem,
Temporibusq; suis dare dulcia munera pacis.

Talem

Talem Te REGEM mitis Natura creavit,
Talem Relligio, talem Te Patria sensit,
Has in Regificas Te *Collis Regius* artes
Ante quadraginta junctis tribus edidit annos.
Confiteor, sola est ea maxima gloria palmæ,
Quam mihi *Regales* habitans Academia *Montes*
Præripit (in reliquis nil cedo ætate fideq;)
Quod REGI nostro cunabula prima paravit.
Nec tamen invideo, sed jungor amore perenni.
Quippe agnata mihi consanguinitate propinqua est,
Quam donavi etiam primo Rectore Sabino,
Et sumus à geminis ortæ Patruelibus ambæ.
Imo nunc illam vinclo propiore Sororem
Germanam appello. Nam nos Pater unus & idem
REX FRIDERICUS habet. Sub REGE manebimus
Qui Regnū Oceano determinat, æthere famam, (isto,
Secula qui BRENNI regionibus *aurea* condit,
Cujus virtuti parcent vada tristia mortis,
Cujus Posteritas geret inviolabile Regnum.
In tempestates licet Hesperus ater, & Eos
Sanguine tincta abeant, licet irruat utraq; Tethys,
Nos tamen impavidum sub Te celebrabimus ævum.
Et sub Prole Tua, veluti sub Apolline, Musæ,
Quæ Viadrum Pregelamq; bibunt, Rhenūq; Salamq;,
Æternam pacem *Saturniaq; otia* ducent,
Durabitq; Tui Regni fiducia nobis,
Donec ad antiquum redeant Chaos omnia Regna.

Filin? auszugsw.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

07. Aug. 1995		
19. Jan. 1996		
05. Aug. 1997		
19. Sep. 1997		
12. Nov. 1999		
	misc. 100/101 digitalisiert: 30749652X	
	misc. 103 - " - : 307497267	
	misc. 105 - " - : 307499553	
	misc. 107 - " - 307502856	
	misc. 78 digitalisiert pph: 307495663	

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0125630

Rara!

